

Car-  
sten 5

1757





92  
omph. 24. p.  
adv. N. 8. 1499. b.  
92.

VINDICIARVM

ADVERSVS OBTRACTATORES

IVRAMENTI RELIGIONIS

SPECIMEN

ELABORATVM

A

CHRISTIANO NICOLAO CARSTENS

LVBECENSI

L L C



Hor  
2742

A. MDCCCLVII.

IENAE

STANNO TENNEMANNIANO,



UNIVERSITÄT  
ADRESSE OBERSTADT  
HAMBURG  
SPECIEM

GEORG MEYER

ELIAM VINCAM

1770

EXPOSITIO VITAE SAEPI ORNATA

EX GYMNASIO LVBEC

IOHANNIS MARGARETAM A SEELEN

VIRO

ADMODVM REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

IOANNI HENRICO

A SEELEN

S. S. THEOL. LICENTIATO AC GYMNI. LVBE. RECTORI

GRAVISSIMO MERITISSIMO

PRAECEPTORI

AD CINERES PIE DEVENERANDO

EX GYMNASIO

LVBE.



FILIAM VNICAM

EAMQVE

EXQUISITISSIMIS VIRTVTIBVS QVAE SEXVM ORNANT

SEQUIOREM CONSPICVAM

SOPHIAM MARGARETAM A SEELEN

VIRO

ADMODVM REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

IOACHIMO HENRICO OSTERMEIER

PHILOS. DOCTORI CELEBERRIMO

ET

ECCLESIAE TRAVAEMVND. SYMMYSTAE VIGILANTISSIMO

DIGNISSIMO

FAVTORI SVO PLVRIMVM COLENDO

DANTI IN MATRIMONIVM

GRATVLANDI STUDIO

ET

EGREGIO CONIVGVMPARI

FAVSTA QVAEVIS ADPRECANDI

HOC QVALECVNQVE SPECIMEN

SVBMISSE OFFERT

AVCTOR.



## §. I.



Quum ad morem, qui obtinet in ciuitate sacra, circa edendas fidei profesiones animum nostrum applicamus, duplicem illum esse inuenimus, alterum, quo clerici ante ordinationem & confirmationem subscribere tenentur Libris symbolicis; alterum, quo iuramentum etiam religionis praestare coguntur. Vtrumque passim ab iisdem requiritur, neque subscripsisse illos articulis fidei sufficit, sed ut et iureiurando confirment promissionem factam, exigitur. Quam quidem *subscriptionem*, quam & alii *subsignationem* vocare solent <sup>a)</sup>, actum esse, quo quis fidei suae testandae causa nomen ipsis Libris adscribit, quis est qui nesciat?

<sup>a)</sup> Defendi & excusari potest haec loquutio ex *L. XXXVIII. ff. de V. S. cf. de more ipso fidei symbola subsignandi ALB. zum FELDE in pecul. Schediasm. Kilon. ed. 1719.*

## §. II.

Ad ipsum quod attinet iuramentum, quod praestare debent ii, qui ad sacra munia recipi desiderant, passim illud recepisse Protestantes, docet experientia. Jurare scilicet tenen-



tenentur: das sie allein das heilige Wort-Gottes, wie dasselbige in Schrifften der Propbeten, und Apostel begriffen, und in den dreyen haupt-Symbolis, so wohl der Augspurgischen Confession, derselben Apologie, Schmalcaldischen Articulu, Catechismis Lutheri, und im christlichen Concordien-Buche wiederholet ist, rein und unverfälscht vortragen wollen &c. Sed non iidem ubique recepti mores. Sufficit nimirum aliis in locis sola promissio stipulata manu facta a), alibi e contrario ipsum solet requiri iuramentum; de qua quidem consuetudine haud paucos conquestos, qui illam superfluum, & minime necessariam iudicare, ac torturam potius appellare nulli dubitarunt, nemo est quem fugiat. Neque tamen defuerunt, qui eandem tanquam pro aris et focis defendere allaborarunt. Acu sese tetigisse opinabantur syncretistae, inuenta distinctione inter subscriptionem, non quia, sed quatenus cum s. s. symbolici libri conueniant, quos uero refellere studuere IACOB. WELLERVS & HÜLSEMANNVS b). Et quamuis post CARPZOVIVM c), SCHELWIGIVM, SCHERTZERVM, PFEIFFERVM, aliosque GERH. HERM. MENCKE in peculiari dissertatione d) iustitiam iuramenti religionis defendere studuerit, nihilominus existere, qui adductas ab his rationes enervare conati sunt. Prouoco hanc ob causam omnium instar ad triumuiros illos sui seculi Papinianos, IO. SAM. STRYKIVM e), qui superfluum iuramentum et frustraneum putat, THOMASIVM f), atque BOEHMERVM g); quos quidem licet summe uenerandus et de hac in primis Academia immortaliter promeritus IOAN. GEORG. WALCHIVS h) argumentis sat grauibus refutarit, nec nostra tamen aetate desunt, qui iuramentum hocce minime necessarium iudicant; et ideo tyrannidem, seu vincula conscientiarum appellant. Quos inter cum principem fere locum obtinere videam IOAN. GEORG. PERTSCHIVM i), qui BOEHMERI ratiocinia adhuc saluari posse; diferte profitetur,

ne



ne tantorum virorum auctoritate in erroneam rapiamur sententiam, conabimur, num posimus illis quidquam opponere, et ad necessitatem huius iuramenti probandam, illudque ab eiusdem obtrectatoribus vindicandam pauca quaedam afferre!

- a) vid. *die Coburg. Kirchen-Ordn.* p. 153.  
 b) cf. IOAN. MICRAELII *Hist. eccles. cum addit.* DAN. HARTNACCII.  
 c) in *Iurispr. Consistor. Libr. III. Tit. I. def. XVI.*  
 d) *de iustit. iuram. religion.* Lips. 1712.  
 e) *diff. de eo quod iustum est circa iuram. extraiud.* Cap. III. §. 2. sq. et *dissert. de iure Princip. circa iuramenta* Cap. III. §. 16 sq.  
 f) *im kirchen-Recht der theol. Streitsachen* Theol. XIV. §. 3 sq.  
 g) *Jur. eccles. Protest.* T. I. p. 466.  
 h) *Introd. in Libr. Symbol.* P. II. c. 11. §. 5 sq.  
 i) in *Elem. Jur. Canon. & Protestant. eccles.* P. I. §. 190. not.

### §. III

*Sufficit*, inquit BOEHMERVS a), *quod ecclesiae ministri sciant, se ea conditione assumi, ut tantum doctrinam Symbolicis libris conformem proponant, alioquin officium suum deponant*; eademque ratione non necessarium esse iudicat, ut muneribus sacris praefecti, iureiurando confirmet, se uelle doctrinam in Libris Symbolicis propositam, atque sanctiori scripturae conformem atque incorruptam profiteri. Sed, quod pace tanti viri dixerimus, non accurate satis distinctissimè videtur necessitatem absolutam, ab ea, quam hypotheticam dicunt, de qua quidem Princeps pro arbitrio, quemadmodum ex usu est publico, decernere potest. Certe ius circa sacra Principi competit, & statibus Germaniae, per *Recessum Imperii de MDXXV* b), & postea quoque Passaviensem transactionem, et mox inscutam pacem religiosam, tandemque per pacem Guesstphalicam plene restitutum est. Quemadmodum igitur Principis interest, ut tales ecclesiae Ministri deligantur, qui a libris Symbolicis

non



non dissentiunt, quo & uera religio conseruetur, & ne ex incerta doctrina ac dissensionibus subditorum turbæ aliæque mala in Republica existant c); ita ipsi ius competit, desuper deferendi iuramentum, ut eo certior fiat, ne quid antisites sacri profiteantur, quod iisdem libris, quibus ecclesia doctrinam suam superstruit, repugnet, quo magis ad eum spectat, ad commodum etiam coetus sanctioris & eiusdem tranquillitatem promouendam elaborare. Nam etsi iam ex pacto perfecte sint obligati eas tantummodo proferre doctrinas, quas societas illa, cui præfunt, sacra recepit: eo tamen magis illos adstringere iuramentum, prouocationem ad vindictam diuinam, quis est qui ignoret? Consentimus ergo cum HORNIO d), inquitente: *Principis certe interest, non tam nosse, quid sentiant circa religionem, qui officii præficiuntur, sed & potest præcipere ut corporaliter præstetur.* Quando enim quis iurat solennitatibus usu receptis, maior tunc vis iuramenti magisque id serium putatur, immo turpioris perfidiae habetur, & grauiori poena dignus est si contrauenit is, qui non tantum literis, aut sermone, sed & actu corporali Deum testem uocauit. Vnde dici quoque solet, iusiurandum personale arctius ligare & firmiter. Abstineat etenim ab hoc sanctiori munere, nisi satis superque conuictus de articulis fidei, doctrinam quam ambit proponendam profiteri potest. Accedit, si adstipularemur celeberrimo BOEHMERO, & pro non necessario haberemus iuramentum religionis, quod superfluum foret etiam iusiurandum, personis, quæ ad clavum sedent imperii et ciuilibus perfunguntur muneribus, delatum. Sed quis hæc unquam dixit, aut dicere non erubescet? Non sufficit profecto scire vnumquemque, quæ pietas, quæ munera requirant, verum & maxime necessarium esse iudico ut iuramento adstringantur, ad officii partes eo sanctius

Etia  
Nu  
que  
Pra  
ror  
is p  
tran

nil  
FLE  
scie  
hic  
nae  
uer  
non  
Sed  
inp  
ipfi  
bro  
non  
ver



Etius observandas, ne quidquam moliantur, quod summi Numinis gloriae, atque totius ciuitatis commodo Principisque saluti repugnet. Quae cum ita sint, eo vel magis Praefulem sacrum ad evitandas confusiones, fugiendos errores, suppressendas seditiones, iuramento debere obligari, is profecto dubitabit, qui quantum intersit ecclesiae, ut tranquillo statu perfruatur, ignorat.

a) l. c. p. 465 sq.

b) §. I. es soll eine jede Obrigkeit fleissiges Einsehen haben, daß in ihren Landen Gottes-Wort ohne Aufruhr zu Erhaltung Frieden und Einigkeit, geprediget werde &c.

c) vid. ALB. RIPER de Potestate atque officio Principum in sacris. C.V. § 2.

d) Jur. Publ. cap. LVIII. §. 8.

### §. III.

Neque iis adstipulamur, qui in iuramento religionis nil nisi reliquias Papatus vident, vel ut THOMASIVS a), FLEISCHERVS b), & alii fidem illam carbonariam, vincula conscientiarum, tyrannidem, & quae non alia, vocant. Nimius hic certe feruor, cui occasionem dedere variae illae, sed vanae & ridiculae maximam partem obiectiones, quas aduersus Libros hosce symbolicos mouerunt ii, qui famam nominis immortalem religioni praeferre nulli dubitarunt. Sed explosa dudum est horum sententia, & ab LEONHARDO, inprimis HVTTERO c) satis superque vindicata. Quid? quod ipsi Theologi, orthodoxis addicti sententiis, consensum Librorum Symbolicorum cum reuelato verbo diuino vltierius non extendant, quam quod ad articulos fidei, neutiquam vero ad loquutiones incidenter occurrentes, vel ad ea, quae adia-

\*\*\*



X                      ✠                      ✠

adiaphora vocant: ad quae quidem quod attinet, vnicuique sane licet, ita eadem explicare, vt cum scriptis Patrum sanaque ratione conueniant. In articulis fidei e contrario, a quibus ne latum quidem vnguem discedere fas est, quis infitiabitur, Principis interesse, vt sciat, quid sit quod statuat, quodue profiteatur is, qui coetui sacro proponitur, eiusque relictum esse curae, ne quid inferatur, quod puriori doctrinae Christianae repugnet? Eadem ratione maxime incongruo nomine appellari hocce iuramentum, *vinculum conscientiae*, nemo certe vocabit in dubium, qui altius paulo consideravit, non disquiri de ipsa fide mentis, sed illa semel posita, de eo, quod docendum sit quodue profitendum. Nemo etenim hic iuramento obligatur ad credenda ea, de quorum veritate nondum satis ille superque est convictus; sed licet profecto cuique sacra haecce munia ambienti, vtrum ea velit conditione suscipere, ut iuramento confirmet promissionem factam, de proferenda illa doctrina, necne? Ideoque ea huius est iurisiurandi mens, quod quis receptis doctrinis in libris symbolicis explicatis cum scriptura sacra conuenientibus, quibus innitur religio christiana, i. e. articulis fidei, his gemina publice etiam profiteri velit atque docere d).

a) in *diff. de fide iurid.* pag. 38.

b) *Einleit. zum geistl. Rechte I Th. I, B. c. 27. §. 12 sq.*

c) in *Concord. Concordae*, quae contra HOSPINIANI *Concord. discord. ex Principis mandato composita est.* vid. RECHENBERG in *adpend. ad Libr. Symbolic.* et HENR. PIPPINGII *histor. Theol. Einleit.* zu *den Symb. Schriften unſ. Kirchen.*

d) CYPRIANVS in praef. quam novae edit. *des Concordien Büchleins*, Goth. 1714. praemisit §. 8 sq.



## §. V.

Et ita liquet profecto, num iuramentum religionis possit sub hac reservatione mentali praestari: *quatenus libri symbolici cum scriptura sacra conueniant?* Neutiquam: ut enim improbandae sunt omnes reservationes mentales in iuramentis, tum quia contra naturam esset iuramenti, aliud cogitare, aliud uerbis, ore proferre, siquidem finis est iurandi vel veritatem enunciare, vel eo firmius adstringi ad seruandum pactum, tum quia iuramentum ex mente & intentione illius, cui iuratur, praestandum est, ideoque ambiguitas omnis serio evitari solet, quae uberius exposuit in peculiari dissertatione ABRAHAMVS KAESTNERVS a): Ita quoque iurandum est, non *quatenus*, sed *quia* libri symbolici, quod extra aleam positum est, cum scriptura sacra conueniant; ideoque ANNA DOROTHEA, Abbatissa Quedlinburgensis, gloriosissimae memoriae, e stemmate Saxo-Vinariensi anno 1693. a. d. XIII. Kal. April. expressa lege statuit, ne quisquam nisi pure libris symbolicis subscriberet, i. e. *quia* cum scriptura sacra conueniant b). Ut nihil hoc loco dicamus de diffensionibus atque motibus, quibus daretur occasio, si iurandum: *quatenus*, siquidem pro arbitrio vnusquisque articulos fidei cum sacro Codice conformes explicaret, eademque ratione viam sterneret ad infinitos errores, atque turbas in ciuitate sacra oriundas.

a) de *reseruat. mental.* Lips. 1746.

b) vid. KETTNER in der *Kirchen und Reformat. Historie des Stiffts Quedlinburg* p. 166.





## §. VI.

Non immerito igitur a futuro ecclesiae Ministro requirimus, ut, antequam se ad iuramentum in libros symbolicos praestandum accingat, eos adcurate perlegat, & ad scripturam sacram, Dei quod in aeternum manebit verbum, adcurate examinet atque, si vera omnia, cumque eo exacte conuenientia esse iudicet, *simpliciter* in eos iuret: alias autem, si pro falsis habeat, aut sententiam mutet, nec docendi munus petat, aut susceptum remittat. Lubenti enim animo gravissimo consummatisimi Theologi iudicio subscribimus: certum nos habere & exploratum, omnes, qui iuramentum religionis improbant, indifferentissimi labe infectos esse, et puritatem doctrinae flocci pendere a).

a) SAL. DEYLING in *Institut. prudent. Pastoralis* P, II, cap. II, §. 15. pag. 212.



Kor 2743.

nc










*omphale*  
*ad. J. S. 1999. 6.*

*92.*

VINDICIARVM  
ADVERSVS OBTRACTATORES  
IVRAMENTI RELIGIONIS  
SPECIMEN



ELABORATVM  
A  
CHRISTIANO NICOLAO CARSTENS  
LVBECENSI  
L L C



*Kr 3*  
*2742*

---

A. MDCCCLVII.

---

IENAE  
STANNO TENNEMANNIANO.

